

I.

CONNARVS *decumbens*,

descriptus a

Carolo Petro Thunberg.

Anno 1760, inter Herbaria Celeberrimi Burmanni africana, illustri Linnaeo primum innotuit planta, sub nomine HERMANNIAE *triphyllae*, cujus data fuit in Differtatione academica et deinde in Amoenitatibus Academicis vol. 6. p. 91. brevis illa quidem, Descriptio specifica.

Haec, deinde nemini vel nota, vel visa planta rarissima, quum neque a me in Promontorio bonae spei fuerit reperta, post meum in Europam ex India orientali reditum, inter gazas Burmanni, illustr. Botanici, botanicas, lustrata adeo mihi singularis et a ceteris HERMANNIAE speciebus, quas ipse collegeram, diversa obvenit, ut temperare non potuerim, quin in characterem ejus genericum examen instituerem ulterius et adcuratius. Hocce vero negotium, quum specimen dudum defloruerat, non valde facile fuit. Exinde tamen satis vidi, plantam hanc minime ad HERMANNIAS pertinere, sed potius CONNARI generi debere associari.

Speciem hancce CONNARUM *decumbentem* appellari atque descriptionem ejus simul cum icone adjuncto publici juris facere volui et in scientiae botanicae incrementum debui.

Descriptio Generica:

- CAL. Perianthium 1-phyllum, ventricosum, ovatum, nervosum, extus hirsutum, persistens, 5-fidum: Lacinae lanceolatae, patulae.
- COR. Petala 5, unguiculata, spathulata, albida, calycis laciniis paulo longiora.
- STAM. Filamenta 10, in unum corpus coalita, apice libera, subaequalia, capillaria, erecta.
- Antherae minutae.
- PIST. Germen superum, ovatum, rugosum, glabrum.
- Stylus unicus, lateralis, filiformis, subinflexus, petalis longior.
- Stigma simplex, obtusum.

A

PERIC.

PERIC. Capsula subrotunda, hinc planiuscula, stylo persistenti laterali coronata, dura, muricato-rugosa, 1-locularis, bivalvis: valvulis hemisphaericis.
Seminum rudimenta plura, futurae laterali internae valvularum adfixa; unicum subrotundo-reniforme, compressiusculum hilo impresso, puncto notato maturescit.

Descriptio Specifica:

C. decumbens foliis ternatis hirsutis: foliolis obovatis excisis, caule decumbente herbaceo. Tab. I.

HERMANNIA *triphylla*. Linn. Amoenit. Academ. vol. 6. p. 91. Spec. Plantar. p. 942. Syst. veg. XIV. p. 611. per Gmelin. p. 1011. excluso Synonymo Cavanilles, quum minime sit Ejus HERMANNIA *triphylla*. Dissert. tab. 278. f. 3.

Caulis herbaceus, decumbens, pilosus, spithameus.

Rami alterni, secundi, erecti, palmares.

Folia alterna, petiolata, ternata, pilis sparsis hirsuta: Foliola sessilia, obovata, excisa, integra, unguicularia intermedio paulo majore.

Petiolus depressus, canaliculatus, hirsutus, longitudine folii.

Stipulae sessiles, subcordatae, ovatae.

Flores terminales, aggregati, subcapitati, tres usque quinque.

Pedunculi vel laterales vel ex ramis continuati, flexuosi, digitales.

Bractee ovatae, pilosae.

Calyx valde pilosus pilis longis.

In Specimine ex herbario Burmanniano, corolla defloruerat et tubus staminum a matrescente Capsula fissus deprehendebatur.

Explicatio Figurarum:

Icon plantae est magnitudine naturali.

a. Calyx.

b. Petalum.

c. Germen cum pistillo et staminibus defloratis.

d. Cylindrus staminum.

e. Capsula cum stylo, magnitudine naturali.

f. ————, ———— aucta.

g. Valvula, repraesentans insertionem seminum sterilium.

h. Semen magnitudine naturali.

i. ———— aucta, a latere visum.

k. ————, antea visum cum suo hilo.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1796-1798

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Thunberg Carolo Pedro [Carl Peter]

Artikel/Article: [CONNARVS decumbens 1-2](#)